

etis non eget, in seipso sufficientiam habens: ita etiam et nos non in operibus ejus aut in operibus nostris discamus quiescere sicut in fine; sed ab operibus in ipso Deo in quo beatitudo nostra consistit: propter hoc enim institutum est ut homo sex diebus laborans in operibus propriis, septimo die quiesceret, ejus cultui vacans. Haec autem quies in Deo christianis non ad tempus, sed perpetuo indicitur, quibus indicitur sine intermissione orare, 1. Thessal. 3. Et ideo illa temporalis observatio in lege nova cessavit.

Ad primum ergo dicendum, quod felicitas Dei non consistit in operatione qua creaturas condidit, sed in operatione qua seipso perfruitur, creaturis non egens; et haec operatio ad quietem septimae diei pertinet.

Ad secundum dicendum, quod quamvis bonitas Dei manifestetur in hoc quod esse communicavit rebus per creationem, tamen perfectio bonitatis ostenditur in hoc quod rebus condidit Deus non eget, sed in seipso sufficientiam habet.

Ad tertium dicendum, quod creaturae sunt sicut via, per quam devenitur in cognitionem Creatoris. Perfectio autem non consistit in via, sed in termino viae. Unde non debet sanctificari dies in quo creaturae sunt conditae, sed dies in quo sicut in fine quiescit.

Ad quartum dicendum, quod quamvis per operationem qua res in esse producit, nihil Deo decreascit; tamen hoc potius apud eum est quod aliis non eget, in seipso quiescens, quam quod alia facit; et ideo dies quietis magis benedicitur quam dies productionis creaturae.

Ad quintum dicendum, quod Deus eadem virtute qua esse rebus tribuit, eas in esse proprio conservat. Unde non magis ostendit divinam poten-

tiam productio creaturarum quam earum conservatio.

#### Expositio textus.

*Jumenta et reptilia et bestias.* Quid sit reptile, dicitur esse (1), qu. 2. art. 2. Jumenta vero dicuntur quae adiutorium homini conferunt, praecipue vehendo ipsum ut equi vel asini et hujusmodi. Bestiae dicuntur propter crudelitatem, quasi vastiae, ut leones et ursi: et hujusmodi creata non fuerunt nisi potentialiter et materialiter, ut intelligatur tam de potentia activa, quam de materiali.

*Quia non potuit simul ab homine dici quod a Deo simul potuit fieri.* Videtur hoc nihil esse, quia licet non potuerit simul pronuntiare, potuit tamen dicere, ea quae successive narrabat, simul esse facta. — Sed dicendum quod dicitur non potuisse dicere, non quia non simpliciter non potuit dicere simul esse facta, sed quia non potuit haec dicere secundum convenientiam disciplinae, ut facilius quod dicebatur a rudibus caperetur, ut faciunt geometrae in descriptionibus figurarum lineam post lineam protrahentes, quae tamen simul figuram constituunt.

*Alia translatio habet: Consummavit Deus die sexto (2).* Utraque translatio veritatem continet, si, ut praedictum est (3), completio distinguatur.

- (1) Nicolai: inferius dicitur: *Videlicet Nicolaius ordinem sibi a D. Thoma praefurum, ut patet, invertit, ponendo ante omnia expositionem sextam: quod semel animadvertisse sufficit.*  
 (2) Al. septimo.  
 (3) Nicolai rursus, ut infra patebit.

## DISTINCTIO XVI.

*De hominis creatione: ubi considerandum est, quare creatus sit homo, et qualiter sit institutus ( quae duo supra tractata sunt ) et qualiter factus, et qualiter lapsus; postremo quomodo sit reparatus: quae discutienda sunt.*

His excursis, quae supra de hominis creatione praemisimus, effectui mancipare atque ordine explanare nunc suscepimus. Ubi haec considerata videntur; scilicet quare creatus sit homo, et qualiter institutus, et qualis, et quomodo factus; deinde qualiter sit lapsus; postremo qualiter et per quem sit reparatus. Horum autem primo loco et secundo posita, id est causam creationis humanae, et modum institutionis, superius pro modulo nostrae facultatis tractavimus. Ideoque superest ut qualis vel quomodo factus sit, discutamus. In Genesi (1, 26) legitur: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. » In eo quod dicit, « Faciamus, » una operatio trium personarum ostenditur; in hoc vero, quod dicit, « Ad imaginem et similitudinem nostram, » una et aequalis substantia trium personarum monstratur. Ex persona enim Patris hoc dicitur ad Filium et Spiritum sanctum; non, ut quidam putant, Angelis; quia Dei et Angelorum non est una et eadem imago et similitudo.

*Quod imago et similitudo hic a diversis accipitur varie: a quibusdam increata, ab aliis creata et increata, vel essentia Trinitatis, vel Patris vel Filii vel Spiritus sanctus.*

Imago autem et similitudo in hoc loco vel increata intelligitur, id est Trinitatis essentia, ad quam factus est homo; vel creata, in qua factus est homo, et ipsa homini concreta. Incretam enim imaginem, quae Deus est, videtur intellexisse Beda, cum dicit, non esse unam imaginem Dei et Angelo-

rum, sed trium personarum; et ideo personis, non Angelis fit ibi sermo. Improprie tamen imago dicitur: quia imago relative ad illud dicitur cujus similitudinem gerit, et ad quod representandum facta est, sicut imago Caesaris, quae ipsius similitudinem praeferebat, ipsi quomodo quodammodo praesentabat. Improprie autem imago dicitur id ad quod similitudo fit, sicut exemplum proprie dicitur quod sumitur ex aliquo, et exemplar ex quo sumitur aliquid. Ponitur tamen aliquando abusive alterum pro altero. Ita et minus proprie accipitur imago essentia Trinitatis; si tamen ea nomine imaginis in hoc loco intelligitur.

*Opinio eorum qui putaverunt, Filium per imaginem et similitudinem hic accipi.*

Filius vero proprie imago Patris dicitur, sicut supra in tractatu de Trinitate diximus. Unde fuerunt nonnulli (1) qui ita distinxerunt, ut imaginem in hoc loco intelligerent Filium, hominem vero non imaginem, sed ad imaginem factum dicerent: quos refellit Apostolus dicens (1. Corinth. 11, 7): « Vir quidem imago et gloria Dei. » Haec namque imago, id est homo, cum dicitur fieri ad imaginem, non quasi ad Filium dicitur fieri; aliquando non dicitur, ad imaginem nostram; quomodo enim nostram diceret, cum Filius solus Patris imago sit? Fuerunt autem et alii perspicaces haec tractantes (2), qui per imaginem Filium, et per simi-

- (1) Ut dicit Augustinus lib. 7 de Trin., cap. ult.  
 (2) Qui hoc dixerit, non occurrat, nisi Rupertus lib. 2 de Trin. ac operibus ejus, cap. 2, ubi haec verba tractat, et commentatur ex professo (Ez. edit. P. Nicolai).

litudinem Spiritum sanctum intelligenter, qui similitudo est Patris et Filii: et ideo pluraliter putaverunt dici, nostram, id referentes ad similitudinem tantum; ad imaginem vero subintelligendum esse, eam. Hominem vero et imaginem esse et ad imaginem et similitudinem factum esse tradiderunt, et imaginem imaginis esse, et similitudinem similitudinis.

*Neque horum sententiam approbat; sed imaginem et similitudinem Dei in homine quaerendam et considerandam docet, ut imago et similitudo creata intelligatur.*

Verumtamen haec distinctio, licet reprobabilis penitus non videatur; quia de medio montium, id est auctoritatibus sanctorum, non manat, congruentius in ipso homine imago et similitudo Dei quaerenda est et consideranda. Factus est ergo homo ad imaginem Dei et similitudinem secundum mentem, quae irrationabilibus antecellit: sed ad imaginem secundum memoriam, intelligentiam, et dilectionem; ad similitudinem secundum innocentiam et iustitiam, quae in mente rationali naturaliter sunt. Vel imago consideratur in cognitione veritatis, similitudo in amore virtutis. Vel imago in aliis omnibus, similitudo in essentia: quia immortalis et indivisibilis est. Unde Augustinus (in lib. de quantitate animae, cap. 5): « Anima facta est similis Deo, quia immoralem et indivisibilem fecit eam Deus. » Imago ergo pertinet ad formam, similitudo ad naturam. Factus est ergo homo secundum animam ad imaginem et similitudinem Dei, non Patris vel Filii vel Spiritus sancti, sed totius Trinitatis. Ita et secundum animam dicitur homo esse imago Dei, quia imago Dei in eo est: sicut imago dicitur et tabula et pictura quae

in ea est; sed propter picturam quae in ea est, simul et tabula imago appellatur. Ita propter imaginem Trinitatis, etiam illud in quo est haec imago, nomine imaginis vocatur.

*Quare homo dicitur imago, et ad imaginem; Filius vero imago, et non ad imaginem.*

Quocirca homo et imago dicitur, et ad imaginem: Filius autem imago, non ad imaginem: quia natus est, non creatus, aequalis, et in nullo dissimilis: homo creatus est a Deo, non genitus, non paritatis aequalis, sed quadam similitudine accedens ei. Unde Augustinus in 7 lib. de Trin. (cap. ult.); in Genesi (1, 26) legitur: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Faciamus et nostram pluraliter dixit. Et nisi ex relativis, id est personis, accipi non oportet, ut facere intelligatur Pater et Filius et Spiritus sanctus, ad imaginem Patris et Filii et Spiritus sancti, ut subsisteret homo imago Dei. Sed quia non omnino aequalis fiebat illa imago, tanquam non ab illo nata, sed ab eo creata; ideo illa imago dicitur quod et ad imaginem: quia non aequaliter paritate, sed accedit quadam similitudine. Filius autem est imago, sed non ad imaginem; quia aequalis est Patri. Dicitur est ergo homo ad imaginem propter impariam similitudinem; et ideo nostram, ut imago Trinitatis esse homo intelligatur, non Trinitatis aequalis, sicut Filius Patri. » Ecce ostensum est, secundum quid homo sit similis Deo, scilicet secundum animam. Sed in corpore quadam proprietatem habet quae hoc indicat, quae est erecta statura, secundum quam corpus animae rationali congruit, quia in caelum erectum est.

*Factus est ergo homo secundum animam ad imaginem et similitudinem Dei.* Hic ostendit, secundum quam partem in homine sit imago assignanda: et primo ostendit, quod secundum animam; secundo ostendit, quod hujusmodi indicium etiam in corpore ostenditur, ibi: *Sed in corpore quadam habet proprietatem quae hoc indicat.* Circa primum duo facit: primo ponit hominem esse ad imaginem Trinitatis, non solum Patris vel Filii, ut alii dicebant, et hoc secundum animam; secundo ostendit quomodo differenter imago secundum animam homini et Filio Dei conveniat, ibi: *Quocirca homo et imago et ad imaginem dicitur; Filius autem imago, non ad imaginem.*

### QUAESTIO I.

Hic quatuor quaeruntur: 1.° utrum in aliqua creatura imago Dei inveniri possit; 2.° in quibus inveniantur; 3.° utrum in illis in quibus invenitur aequaliter inveniantur; 4.° de differentia imaginis et similitudinis.

#### ARTICULUS PRIMUS.

*Utrum aliqua creatura possit dici esse ad imaginem.*

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod nulla creatura possit dici ad imaginem Dei esse. Cujuscumque enim est aliqua imago creata, ei contingit aliquam imaginem ponere. Sed Deo non contingit aliquam imaginem ponere. Isai. 40, 18: *Cui similem fecistis Deum aut quam imaginem ponetis ei?* Ergo etc.

2. Praeterea, proprietates unius non inveniuntur in alio. Sed imago indicat proprietatem Filii, ut in primo dictum est, qui increatus est. Ergo nulli creaturae convenit.



5. Praeterea, in imagine importatur convenientia quaedam cum aliquo uno; unde dicit Hilarius (lib. de Synod., cap. 1), imaginem esse speciem non differentem ejus rei ad quam imaginatur. Sed quaecumque conveniunt in aliquo uno, habent aliquid prius et simplicius se, sive sit convenientia analogiae, sive univocationis: est enim ens prius substantia et accidente, sicut animal prius homine et equo. Deo autem nihil est prius et simplicius. Ergo non potest esse ejus imago in creatura.

4. Praeterea, de ratione imaginis est aequalitas: dicit enim Hilarius (ubi supra), imaginem esse rei ad rem coaequantem. Sed nulla aequalitas potest esse creaturae ad Deum. Ergo nec imago ejus esse potest.

3. Item, infinite distantium non potest esse indiscretio et unio. Sed imago, ut dicit Hilarius (ibid.), est similitudo indiscreta et unita. Ergo creatura non potest esse ad imaginem Dei, a quo in infinitum distat.

Contra est quod habetur Genesis 1. 26: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.*

Praeterea ad perfectionem operis exigitur ut perducatur in similitudinem agentis. Sed *Dei perfecta sunt opera*: Deuter. 32, 4. Ergo oportet esse aliquid operum ejus in quo ipsius imago repraesentetur.

Solutio. Respondeo dicendum, quod, imago proprie dicitur quod ad alterius imitationem est: nec tamen quaelibet imitatio rationem imaginis perficit; ut si hoc sit album et illud album, non ex hoc dicitur ejus imago: sed ad rationem imaginis exigitur imitatio in aliquo quod speciem exprimat et essentiam: propter quod ab Hilario (loc. cit.) dicitur species indifferentes. Et inde est quod in corporalibus secundum imitationem figurae potissimum imago attenditur, quia figura est quasi certum signum ostendens unitatem et differentiam speciei. Haec autem imitatio potest esse dupliciter: aut simul quantum ad speciem et signum speciei, et sic imago hominis est in filio suo, qui ipsum in humana specie et figura imitatur, et haec est perfecta imago: aut quantum ad signum tantum, et non quantum ad veritatem speciei, sicut imago hominis est statua lapidea; et haec est imperfecta imago. Et primo modo filius est imago patris, sicut in natura communicans; secundo autem modo imago Dei est in creaturis; et ideo creatura potest esse imago Dei, licet non perfecta.

Ad primum ergo dicendum, quod Propheta loquitur contra idolatras, qui Deum in corporalibus figuris imaginari nitentur; et ideo non est ad propositum.

Ad secundum dicendum, quod imago secundum perfectam rationem indicat proprietatem Filii; et sic creaturae non convenit, sed secundum imperfectam significationem, ut sic nomen imaginis a Filio in creaturas descendat, sicut a Patre nomen paternitatis, ad Eph. 5.

Ad tertium dicendum, quod convenientia potest esse dupliciter: aut duorum participantium aliquid unum; et talis convenientia non potest esse Creatoris et creaturae, ut objectum est: aut secundum quod unum per se est simpliciter, et alterum participat de similitudine ejus quantum potest; ut si poneremus calorem esse sine materia, et ignem convenire cum eo, ex hoc quod aliquid caloris

participaret: et talis convenientia esse potest creaturae ad Deum: quia Deus dicitur ens hoc modo quod est ipsum suum esse; creatura vero non est ipsum suum esse, sed dicitur ens, quasi esse participans; et hoc sufficit ad rationem imaginis.

Ad quartum dicendum, quod ad rationem imaginis non exigitur aequalitas aequiparantiae, cum magni hominis in parva pictura imago exprimitur; sed exigitur aequalitas proportionis, ut scilicet eadem sit proportio partium ad invicem in imagine quae est in imaginato; et talis aequalitas invenitur in anima respectu Dei: quia sicut ex Patre Filius, et ex utroque Spiritus sanctus, ita ex mente notitia, et ex utraque amor procedit.

Ad quintum dicendum, quod ubi est perfecta imaginis ratio, ibi est perfecta indiscretio et unitas, ut patet in Filio ad Patrem: creatura autem, quantum ad hoc quod Deum imitatur, non discernitur ab eo, sed quodammodo sibi unitur unitate convenientiae, quamvis semper remaneat major differentia: et sic non ex toto tollitur ratio imaginis, sed solum imaginis perfectae.

#### ARTICULUS II.

*Utrum imago Dei inveniatur tantum in creaturis rationalibus.* — (1 p., quaest. 95, art. 2.)

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod non tantum in rationalibus creaturis imago Dei inveniatur. Ad rationem enim imaginis, qualis in creaturis esse potest, non exigitur perfecta similitudo, ut dictum est; sed sufficit imperfecta imitatio. Sed quaelibet creatura ex hoc esse habet quod divinam perfectionem imitatur. Ergo quaelibet creatura dici debet ad imaginem Dei.

2. Praeterea, dicit Boetius in lib. de Consol. Philosophiae (lib. 5, metr. 9) de Deo loquens:

*Mundum mente gerens, similique in imagine formans.*

Sed quaelibet creatura in esse prodit ex hoc quod in mente divina per suam ideam gestabatur. Ergo quaelibet creatura potest dici facta ad imaginem Dei.

3. Praeterea, ubi est expressio similitudo, ibi magis salvatur ratio imaginis. Sed perfectio divinae bonitatis expressus repraesentatur in toto universo quam in aliqua parte ejus. Ergo totum universum magis debet dici ad imaginem Dei quam aliqua creatura rationalis.

4. Praeterea, Dionysius (in 4 cap. de divin. Nom.) ostendit similitudinem divinae bonitatis maxime apparere in radio solari. Sed expressio similitudinis causat imaginem. Ergo radius solaris debet dici esse ad imaginem Dei.

5. Praeterea, illud quod maxime exprimit proprietatem alicujus, maxime videtur ad ipsum convenientiam habere. Sed in fine caelest. Hierarchie dicit Dionysius, quod in igne maxime ostenduntur divinae proprietates. Ergo ignis maxime debet dici ad imaginem Dei.

Sed contra, ex hoc anima dicitur imago Dei quia ejus capax est, ut Augustinus (lib. 14 de Trinit., cap. 8 (1)) dicit. Sed sola creatura rationalis est capax Dei. Ergo ipsa sola est ad imaginem Dei.

(1) Non, ut alias, 85 Qq., quaest. 51. *Videris eandem citationem infra repetitam art. 5, arg. 2.*

Praeterea, quanto aliqua creatura est perfectior, tanto est Deo similior. Sed inter alias creaturas rationalis natura altissimum gradum tenet. In ipsa ergo praecipue imago Dei invenitur.

Solutio. Respondeo dicendum, quod, ut dictum est, illa imitatio rationem imaginis constituit quae est in aliquo ad speciem pertinente. Ex primo autem et communi nihil sortitur speciem, sed ex ultimo et proprio, sicut est differentia constitutiva. Consideratis autem divinae bonitatis processibus in creaturis, quibus naturae creatae constituuntur in similitudinem naturae increatae, ultima invenitur intellectualis dignitatis participatio, et quae omnes alias praesupponat: et ideo intellectualis natura attingit ad imitationem divinam, in qua quodammodo consistit species naturae ejus; et inde est quod in eadem operatione ponimus ultimam felicitatem intellectualis creaturae, in qua est felicitas Dei, scilicet in contemplatione intellectiva; et ideo sola intellectualis creatura rationabiliter ad imaginem Dei dicitur esse.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis quaelibet creatura aliquid participet de ratione similitudinis divinae, non tamen potest dici ejus imago ratione praedicta.

Ad secundum dicendum, quod similitudo operis potest dici ad operantem dupliciter; aut quantum ad id quod habet in natura sua, sicut homo generat hominem; aut quantum ad id quod habet in intellectu suo, sicut artificium ab artifice in similitudinem artis suae procedit. Utrouque modo procedit creatura a Deo in similitudinem ejus. Primo modo, quia ab ente sunt entia, et a vivo viventa. Secundo modo, quia procedunt a rationibus idealibus. Cum ergo unaquaeque res pertingat ad perfectam imitationem ejus quod est in intellectu divino, quia talis est qualem eam esse disposuit; ideo quantum ad hunc modum similitudinis quaelibet creatura potest dici imago ideae in mente divina existentis; unde dicit Boetius (in lib. de Trinit.) quod formae quae sunt in materia, possunt dici imagines, eo quod ab his formis veniunt quae sine materia sunt: sed quantum ad alium modum sola intellectualis natura pertingit ad ultimum gradum imitationis, ut dictum est; et ideo ipsa sola dicitur imago Dei.

Ad tertium dicendum, quod similitudo divinae bonitatis, quantum ad nobilissimas participationes ipsius, non resultat in universo nisi ratione nobilissimarum partium ejus, quae sunt intellectuales naturae: nec per se de toto potest dici, et primo, quod (1) non convenit sibi ratione omnium partium, ut in 6 Physic. dicitur frequenter: et ideo universum non potest dici imago Dei, sed intellectualis natura.

Ad quartum dicendum, quod similitudo radii solaris ad divinam bonitatem tota attenditur quantum ad causalitatem, et non quantum ad dignitatem naturae, quae rationem imaginis perficit.

Ad quintum dicendum, quod proprietates divinae ostenduntur in creaturis dupliciter: vel secundum similitudinem analogiae, sicut vita, sapientia, et hujusmodi, quae analogice Deo et creaturis conveniunt; et sic divinae proprietates praecipue ostenduntur in rationali natura; vel secundum similitudinem proportionis, secundum quod

spirituales proprietates corporalibus metaphorice designantur; et hoc modo in igne ostenduntur proprietates divinae, ut in 1 lib., dist. 53, dictum est. Sed haec similitudo non facit rationem imaginis; unde Dionysius vocat eam (in 2 cap. caelest. Hierar.) dissimilem similitudinem.

#### ARTICULUS III.

*Utrum imago Dei magis reperiat in Angelis quam in hominibus.* — (1 p., quaest. 95, art. 5.)

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod imago non magis in Angelis quam in hominibus invenitur. Ea enim quae sequuntur naturam, aequaliter inveniuntur in omnibus habentibus naturam illam, ut risibile in hominibus. Sed esse ad imaginem Dei, consequitur intellectualem naturam. Ergo in omnibus habentibus intellectum est aequaliter.

2. Praeterea, secundum Augustinum (lib. 14 de Trin., cap. 8), eo ipso est anima imago Dei quod capax ejus esse potest. Sed non magis capax Dei est Angelus quam homo, cum in fruitione Divinitatis homines Angelis aequentur. Ergo esse ad imaginem non magis Angelis quam hominibus convenit.

3. Praeterea, ut dicit Augustinus (lib. 85 Qq., quaest. 81), inter mentem nostram et Deum nihil est medium. Sed quod magis imitatur Deum, cadit medium inter ipsum et id quod minus imitatur ipsum. Ergo Angelus non magis est ad imaginem Dei quam mens humana.

4. Praeterea, ad Hebr. 2 dicit Glossa, quod natura mentis humanae quam Christus assumpsit, nihil post Deum est melius. Sed Christus assumpsit mentem ejusdem naturae cum nostris mentibus. Cum ergo unumquodque tanto sit melius quanto expressiori imagine Deum imitatur; videtur quod esse ad imaginem non magis Angelis quam hominibus conveniat.

5. Praeterea, de beata Virgine dicit Hieronymus (1) (serm. de Assump.) quod *exaltata est super choros Angelorum ad caelestia regna*. Sed hoc non posset esse, si ipsa esset minus ad imaginem Dei quam Angeli. Ergo cum ipsa vere et pure naturam humanam habeat, videtur quod imago non plus in Angelis quam in hominibus invenitur.

Sed contra est quod dicit Gregorius (52 Mor., cap. 25) quod Angelus dicitur signaculum similitudinis, quia in eo divinae imaginis similitudo magis insinuat expressa. Sed secundum hoc aliquid dicitur esse magis ad imaginem, secundum quod expressius imago Dei in ipso relucet. Ergo Angeli sunt magis ad imaginem Dei quam homo.

Similiter etiam videtur quod sit vir magis quam mulier per id quod 1 Corinth. 11, quidam gradus inter virum et mulierem constituitur, dum dicitur vir imago Dei, et mulier imago viri: et ita non in omnibus habentibus imaginem imago aequaliter invenitur.

Solutio. Respondeo dicendum, quod de imagine possumus loqui dupliciter: aut quantum ad id in quo proprie consistit imaginis ratio; aut quan-

(1) Sive alius auctor inter ejus opera tom. 9, in serm. de Assumpt. qui incipit: *Cogitavit me* (Ed. edit. P. Nicolai).

(1) Ad. et primo, quia.



tum ad id quod secundario assignatur similitudo imaginis: proprie enim et principaliter imago intellectualis naturam consequitur; unde oportet quod ubi intellectualis natura perfectius invenitur, etiam ibi sit imago expressior: et sic cum natura intellectualis multo sit dignior in Angelis quam in homine, eo quod propter obumbrationem intellectualis luminis homo rationis dicitur, cum ratio sit quidam intellectus obumbratus; oportet quod in Angelis sit expressior Dei imago quam in anima, et in Angelis superioribus quam in inferioribus, et in viro quam in muliere: quamvis illa diversitas sit minor quam prima, quia non sequitur diversitatem naturae secundum speciem. Assignatur etiam imago Dei in homine, sed non ita proprie, quantum ad aliquas proprietates consequentes, sicut quod homo dominatur inferioribus creaturis (sicut etiam Deus in toto universo), et est quodammodo finis earum: et hoc innuitur Gen. 1, 26, ubi post id quod dictum est: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, subiungitur: *Ut praesit piscibus maris, et volatilibus caeli, et bestiis universaeque terrae, omnique reptili quod movetur in terra*. Et similiter sicut Deus est totus in qualibet parte universi, ita anima in qualibet parte corporis; et secundum hoc et huiusmodi alia nihil prohibet hominem magis ad imaginem Dei esse quam Angelum. Sed hoc est secundum quid, et non simpliciter: quia iudicium similitudinis vel diversitatis quod sumitur ab essentialibus rei, est multo firmitus.

Ad primum ergo dicendum, quod ea quae consequuntur naturam, aequaliter inveniuntur in omnibus habentibus naturam illam aequaliter. Natura autem intellectualis non aequaliter invenitur in Angelis et in hominibus; sed in Angelis multo nobilior.

Ad secundum dicendum, quod imago invenitur in homine et in Angelo quantum ad naturalia sua, non quantum ad habitum gratiae vel gloriae. Consideratis autem naturalibus Angeli et hominis, magis est capax divinae cognitionis Angelus quam homo; et quod homo ad aequalitatem Angelorum perducitur in divina fruitione, est gratiae, et non naturae: et ideo obiectio non procedit.

Ad tertium dicendum, quod inter mentem nostram et Deum nihil est medium quasi obiectum beatitudinis, sed immediate in Deum nostra mens tendit, a quo etiam immediate per gratiam vivificatur; et tamen est aliquid medium: quantum ad gradum naturae, scilicet angelica natura, ut patet ex Dionysio (4 cap. caelest. Hierar.), Augustinus etiam dicit (12 Confess., cap. 7), Angelum prope Deum factum, et materiam prope nihil. Et ideo obiectio nulla est.

Ad quartum dicendum, quod natura humana quam Christus assumpsit, est multo nobilior quam quaelibet creatura; sed hoc habet ex unione Divinitatis, et non ex principiis essentialibus; et ideo non sequitur similis ratio de mentibus humanis non unitis. Assumpsit enim Dei Filius humanam naturam, ut Damascenus (lib. 3, cap. 11) dicit, in atomo, id est in individuo, et non in specie; et sic etiam natura mentis humanae in Glossa praedicta (1) accipitur.

Ad quintum dicendum, quod exaltatio beatae

(1) *Al.* in gloria praedicta.

Virginis super choros Angelorum non fuit naturae sed gratiae; et ideo, per hoc nihil probatur.

#### ARTICULUS IV.

*Utrum imago et similitudo convenienter distinguantur in littera. — (1 p., qu. 93, art. 9.)*

Ad quartum sic proceditur. 1. Videtur quod inconvenienter imago et similitudo in littera distinguantur. Illud enim quod ponitur in definitione alicujus ut genus, non distinguitur ab ipso, sicut animal ab homine. Sed secundum Hilarium (lib. de Synod. advers. Arian., can. 1): *imago est rei ad rem coaequantam (1) imaginata et indiscreta similitudo*. Ergo imago et similitudo distinguuntur non debent.

2. Praeterea, secundum quorundam opinionem homo in gratuitis creatus non est. Sed innocentia et iustitia ad gratiam pertinent. Ergo inconvenienter similitudo, in qua homo factus est, per iustitiam et innocentiam exponitur in littera.

3. Praeterea, cognitio et amor nominant actum vel passionem. Sed actus et passio non semper remanent in animo. Cum ergo imago semper maneat, videtur quod inconvenienter imago secundum dilectionem vel cognitionem assignetur.

4. Praeterea, amor ad voluntatem pertinet. Voluntas autem est pars imaginis. Ergo inconvenienter distinguitur similitudo ab imagine per hoc quod similitudo in amore virtutis consistit.

5. Praeterea, voluntas ad cognitionem non pertinet, et tamen pars imaginis ab Augustino ponitur (11 de Trin., cap. 4 et 5). Ergo videtur quod inconvenienter dicatur imago ad cognitionem veritatis pertinere.

6. Praeterea, natura intellectualis ad essentiam animae pertinet. Sed naturam intellectualem sequitur imago, ut dictum est. Ergo videtur inconvenienter dici, quod similitudo ad essentiam pertinet, imago vero ad alia quae sunt in anima.

**Solutio.** Respondeo dicendum, quod in ratione imaginis includitur similitudo, et non e converso; unde si similitudo contra imaginem distinguatur, oportet specialiter sumi similitudinem quae deficit a ratione imaginis: sicut proprium dividitur definitioni, non secundum nomen commune quod de definitione praedicatur, sed secundum illam rationem determinate acceptam quae deficit a perfectione definitionis. Cum ergo imago importet imitationem in his quae pertinent ad speciem demonstrandam, oportet quod similitudo accipitur in eo quod deficit a demonstratione specialis naturae. Hoc autem contingit dupliciter: aut quia est prius et communius quam sit natura speciei, sicut proprietates consequentes naturam generis: aut quia est posterius his quae speciem demonstrant, ut accidentia consequentia principia individui. Si ergo accipitur defectus primo modo, sic est ultima distinctio quae in littera assignatur: secundum hoc enim dicitur similitudo secundum convenientiam in illis quae consequuntur essentiam, in quantum est essentia, et non in quantum est intellectualis, ut incorruptibile et indivisibile et huiusmodi: imago autem attenditur secundum ea quae proprie intellectualis naturam consequuntur. Si autem attendatur

(1) Nicolai ex Hilario, ad rem coaequantam.

defectus ex hoc quod est posterius, hoc est dupliciter: quia aut hoc est secundum ordinem potentiae naturalis ad potentiam: et sic primum demonstrans naturam intellectualem est potentia cognoscitiva et actus ejus, et posterius erit voluntas et actus ejus, quae consequitur apprehensionem cognoscitivae virtutis; et sic erit secunda distinctio, quia imago pertinet ad cognitionem veritatis, quae est primum demonstrans naturam intellectualem, similitudo autem ad amorem virtutis: aut secundum ordinem potentiae ad habitum; et sic erit prima distinctio, secundum quod imago pertinet ad potentias, scilicet memoriam, intelligentiam, et voluntatem; similitudo vero ad habitus consequentes, scilicet innocentiam, et iustitiam.

Ad primum ergo dicendum, quod similitudo communiter sumpta, non dividitur contra imaginem; sed similitudo deficiens a ratione imaginis, sicut proprium contra definitionem.

Ad secundum dicendum, quod etiam si ponatur homo non creatus in habitibus gratuitis, constat tamen eum esse creatum in habitibus naturalibus integris et perfectis: et quantum ad hoc similitudo attendetur.

Ad tertium dicendum, quod potentiae innotescunt per actus et passiones: et ideo per cognitionem et amorem debet intelligi potentia cognoscitiva et amativa, quae est voluntas.

Ad quartum dicendum, quod ratio illa non valet, quia procedit ex diversis distinctionibus: nec est inconveniens ut secundum unam distinctionem aliquid pertineat ad imaginem, et secundum aliam pertineat ad similitudinem: quia in una comparatione potest aliquid accipi ut prius aliquo, quod in alia accipitur ut posterius respectu alterius: secundum quem modum possunt comparari potentiae intellectivae naturae ad habitus, quibus inveniuntur priores, vel una ad alteram, et sic est una prior altera. Et ita sicut aliquid est prius et posterius in aliqua comparatione diversimode acceptum: ita e-

tiam potest ad imaginem et similitudinem pertinere ratione praedicta.

Et similiter dicendum est ad quintum.

Ad sextum dicendum, quod intellectualitas, quamvis pertineat ad essentiam naturae intellectualis, non tamen est de ratione essentiae in quantum essentia: et ideo non pertinet ad similitudinem, quae assignatur secundum communes differentias entis, scilicet simplex et compositum, corruptibile et incorruptibile, et huiusmodi.

#### Expositio textus.

*Quare creatus sit homo, id est causa finalis hominis, et qualiter institutus, quia ex anima et corpore: haec duo in prima distinctione huius libri dicta sunt: et qualiter et quomodo factus, hic incipit prosequi: deinde qualiter sit lapsus: hoc prosequitur 21 distinctione, et deinceps: postremo qualiter et per quam sit reparatus: hoc in 3 lib. et in 4.*

*Quae in mente rationali naturaliter sunt.* Hoc potest intelligi etiam de habitibus gratuitis, ad quos anima naturaliter est ordinata, non quod per principia naturae causentur; vel potest intelligi de habitibus innatis, sicut Philosophus in 6 Ethicor. (cap. 11) ponit etiam quasdam virtutes naturales. Imago ergo pertinet ad formam, scilicet specialem; similitudo ad naturam, scilicet communem: et hoc secundum ultimam distinctionem quam posuit.

*Quocirca homo et imago est, et ad imaginem.* Ratio huius est, quia haec praepositio ad notat distantiam: quia, ut dicit Augustinus, Filius est imago Patris nulla ex parte ei dissimilis: ideo ita dicitur imago quod non ad imaginem: homo autem, quia ipse Deum imitatur in natura intellectuali, et a perfecta imitatione Filii distat, in quam tamen tendit ut potest; ideo imago dicitur, et ad imaginem.

## DISTINCTIO XVII.

*Hic de creatione animae, utrum de aliquo facta sit, vel non, et quando facta; et quam gratiam habuerit in creatione.*

Hic de origine animae plura quaeri solent: scilicet unde creata fuerit, et quando, et quam gratiam habuerit in creatione. Sicut hominis formatio secundum corpus describitur, cum dicitur (Genes. 2, 7): « Formavit Deus hominem de limo terrae; » ita ejusdem secundum animam describitur factura, cum subditur: « Et inspiravit in faciem ejus spiritum vitae. » Corpus enim de limo terrae formavit Deus, cui animam inspiravit; vel, secundum aliam litteram, flavit, vel sufflavit: non quod faucebus sufflaverit, vel manibus corporeis corpus formaverit: spiritus enim Deus est, nec lineamentis membrorum compositus est. Non ergo corporaliter putemus Deum corporeis manibus formasse corpus, vel faucebus inspirasse animam; sed potius hominem de limo terrae secundum corpus formavit, jubendo: id est, voluit, et verbo suo jussit ut ita fieret. « Et insp. iravit in faciem ejus » spiraculum vitae: id est, substantiam animae in qua viveret, creavit, non de materia aliqua corporali vel spiritali, sed de nihilo. Putaverunt enim quidam haeretici, Deum de substantia sua animam creasse, verbis Scripturae pertinaenter inhaerentes, quibus dicitur: « Inspiravit (vel sufflavit) in faciem ejus spiraculum vitae. » Cum fiat, inquit, vel spirat homo, de se flatum emittit. Sic ergo cum dicitur Deus flasse vel inspirasse spiraculum in faciem hominis, ex se spiritum

hominis emisisse intelligitur, id est de sua locutione substantias. Qui hoc dicunt, non capiunt tropice dictum esse. Sufflavit, vel flavit (1) id est, flatum hominis, scilicet animam, fecit: flare enim est flatum facere, et flatum facere est animam facere. Unde Dominus per Isaiam (cap. 7): « Omnem flatum ego feci. » Non sunt ergo audiendi qui putant animam esse partem Dei. Si enim hoc esset, nec a se nec ab alio deici posset, nec ad malum faciendum vel patiendum compelli, nec in melius vel deterius mutari. Flatus ergo quo hominem animavit, factus est a Deo, non de Deo, nec de aliqua materia, sed de nihilo.

*Hic quaeritur, quando facta sit anima, an extra corpus, an in corpore.*

Sed utrum in corpore an extra corpus, etiam inter doctores scrupulosa quaestio est. Augustinus enim super Genesim (lib. 7, cap. 24, 27 et 28) tradit, animam cum Angelis sine corpore fuisse creatam, postea vero ad corpus accessisse: neque compulsus est incorporari, sed naturaliter illud voluit; id est, sic creata fuit ut vellet, sicut naturale nobis est velle vivere. Male autem velle vivere, non naturae, sed voluntatis est perversae. Alii vero dicunt, animam primi (2) hominis in corpore fuisse creatam, ita exponentes verba illa, « Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae; » id est, animam

(1) *Al.* deest vel flavit.

(2) *Al.* primam.